2. A. 16 Decembr. 1628. 25 26

VOTA ET MOTIVA IN PROCESSV DON ANTONII DE LA CVEVA SVPER INFANTIONIA.

IN Dei nomine, Amen. Nouerint vniuersi, quod anno a natiuitate Domini millesimo sexcentesimo vigesimo octauo, die vero, quæ computabatur decima sexta mensis Decembris apud Ciuitatem Cæsaraugustæ, & in Camera Regij Consilij Ciuilis præsentis Regni Aragonum interuenerunt, & fuerunt præsentes magnifici Domini Antonius Augustinus de Mendoça ordinarius Assessor, Hieronymus Marta, Ioannes Franciscus Salazar, Dominicus de Escartin, & Franciscus de Mirauete Regij Consiliarij. CORAM quibus fuit positus processus Antonij de la Cueua super Infantionia, in quo quatuor ex dictis Dominis de dicto Regio Consilio fuerunt voti & opinionis, quod Dominus Regens officium generalis Gubernationis prædicti Regni tenetur, & debet pronuntiare, & mandare deleri & amoueri a cedula contradictorij oblata pro parte Antonij de la Cueua exponentis articulos quintum & septimum, & ab articulo decimo nono verba illa vbi ait, *Iuan de la Cueua abuelo del dicho Exponiente*, cum omni genere probationis super dictis articulis factæ, & a cedula Contradictorij oblata pro parte procuratorum fiscalium & ciuitatis Darocæ articulos tertium, quartum, sextum, septimum, nonum, decimum, decimum nonum, vicesimum secundum, tricesimum octauum, quadricesimum octauum, quadricesimum nonum, & nonagesimum primum, cum omni genere probationis super dictis articulis factæ. Et cum his declarare Antonium de la Cueua exponentem fore & esse Infantio-

nem

nem, & debere gaudere omnibus & singulis priuilegijs, libertatibus, & immunitatibus cæteris Infantionibus præsentis Regni Aragonum concessis & indultis, neutram partium in expensis condemnando, cætera supplicata locum non habere. EX EO & aliàs, quia constat dictum Exponentem, eius Patrem, Auum, & Proauũ per tẽpus plusquã centum annorum gauisos fuisse priuilegijs Militum, & infationum in ciuitate Darocæ, vdi dictus Exponens, & supradicti eius ascendentes fuernnt domiciliati, quod non solum probatur testibus, sed etiam instrumentis. In altero enim in præsenti processu exhibito, & concesso die decima septima Madij; anni millesimi quingentesimi nonagesimi sexti, per Iustitiam, Iuratos & Consilium particulare dictæ Ciuitatis, fuit mandatum Receptoribus sisæ, ne eam reciperent a matre dicti Exponentis, tanquam vidua eius patris, quia ipsius maritus, & eius ascendentes fuerant notorij Infantiones, & idem fuerat declaratum in fauorem Lupi, & Didaci de la Cueua fratruum die decima tertia Decembris, anni millesimi quingentesimi decimi sexti, & dictum Lupum fuisse proauum Exponentis, satis constat, in processu. Non obstante quod in dicto instrumento concesso in anno millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, fuerit vocatus pater Ioannis de la Cueua per Ioan eem Lagueruela, cuius error non obest contra veritatem in processu probatam, & quamuis dictum instrumentum anni millesimi quingentesimi decimi sexti, non sit exhibitum in forma probanti, quia caret testibus, tamen fuit mentionatum & calendatum in secundo instrumento anni millesimi quingentesimi nonagesimi sexti, in quo etiam fuit relatum idem, quod cõtinetur in prædicto instrumento insolemni, quod simul cum antiquitate plusquam centum annorum suficiens est, vt ei fides adhibeatur, respectu contentorum in dicto instrumento antiquo, quæ sunt relata in alio recentiori. Rursus prædicta possessio probatur per librum Confratriæ militum dictæ Ciuitatis, in quo reperiuntur descripti dictus Exponens, eius Pater, & Auus, & per alia instrumenta, quod etiam probatur pluribus testibus. Ita quod de dicta possessione continuata per tempus plus quam centum annorum cum publica & notoria reputatione, quod dictus Exponens, atque eius ascendentes fuerunt Infantiones dubitari non potest, quæ antiquissima possessio, simul cum documentis & probationibus productis, ex quibus deducitur dictũ Lupum de la Cueua originẽ duxisse a Familia, Militum & Infantionum cognominis de la Cueua villæ de Molina Regnorum

Castellæ,

Castellæ, satis inducit possessionem immemorialem legitime præscriptam ingenuitatis dicti Exponentis, & eius Familiæ, quod sufficit ad obtinendum etiam in proprietate, prout sæpius fuit declaratum in Regno. Nec obstant, quæ in contrarium fuerunt proposita. Primum, quod in Regno solum posit probari Nobilitas in proprietate cum salua aut priuilegio, vel cum Casale materiali, ex quo nobilitas indicetur, quod quidem falsum arbitramur. Potius enim probatio immemorialis ingenuitatis alicuius familiæ est titulus legitimus, & vt talis admittitur, atque approbatur, communi consensu per Doctores in terminis iuris, quod neque tolunt, nec contradicunt Fori nostri, imo autem sæpius fuit admisum in Tribunalibus huius Regni, vt supra diximus. Secundum obiectum fuit propositum, quod videlicet non constat Familiam de los Cucuas villæ de Molina esse Militum, atque Infantionum, nec originarios dictæ Familiæ in dicta villa gauisos fuisse vt tales. Nec etiam constare Lupum de la Cueua Proauum Exponentis originem duxisse a dicta Familia de Molina. Contrarium autem ex deductis & probatis pro parte Exponentis verius arbitramur, quod non solum probatur testibus, sed etiam scripturis, atque historijs, quæ omnia simul iuncta legitimam probationem veritatis inducunt. Et quamuis scripturæ transumptorum priuilegiorum dictæ Familiæ (quæ fuerunt producta, atque exhibita coram Iudice villæ de Molina ad instantiam Lupi de la Cueua vicini Darocæ, die decimooctauo Ianuarij, anni millesimi quingentesimi vnius, & ad instantiam Ioannis de la Cueua vicini eiusdem ciuitatis, die vigesimo nono Iulij, anni millesimi quingentesimi quinquagesimi quinti) non sint exhibita in forma probanti, ex eorum tamen antiquitate, & ex historijs exhibitis (quæ cum dictis instrumentis conueniunt) vrgens desumitur præsumptio in fomentum & corroborationem intentionis Exponentis, maxime accedente possessione adeo notoria, & antiqua ingenuitatis in dicta ciuitate Darocæ in fauorem dictæ Familiæ. Nec diuersitas nominis aliquid officit, cum in minimo consistat, verissimum enim est, & ex quam plurimis instrumentis constat, Exponentem eius ascendentes, aliosque eorum consanguineos, aliquando vocatos fuiesse Cueua, & aliquando Cueuas, & cum diuersimode, atque promiscue hoc cognomine vsi fuerint, nullum argumentum ex hac minima varietate desumi potest, nec ex diuersitate Aui, quæ fuit proposita pro parte Regij fisci, & ciuitatis Darocæ,

cæ, sub prætextu, quod Ioannes primus non fuit Lupi filius, sed Didaci de Cueuás, ex instrumentis enim satis constat dictum Ioannem Auũ Exponentis fuisse filium Lupi de Cueua, & præcipue ex instrumento potestatis concesso in præsenti ciuitate Cæsaraugustæ die vicesimo Octobris, anni millesimi quingentesimi trigesimi quinti per Lupum de la Cueua, & Ioannem de la Cueua fratres, tanquam hæredes qui simul erant bonorum Lupi de Cueua, & Annæ Giner, recepto per Sebastianum Moles notarium publicũ: vnde colligitur dictos fratres esse simul hæredes prædictorum coniugum, quia erant ipsorum filij. Idem confirmatur ex venditione, quæ in vim dictæ potestatis fuit concessa quarundam domorum, quæ erant dictorum fratruum, in fauorem Ioannis Marcuello, & Mariæ de Mayas, die vndecimo Decembris anni millesimi quingentesimi trigesimi quinti, & etiam ex alio instrumento desumpto ex libro antiquo atque recondito in Archiuo Ecclesiæ sancti Michaelis ciuitatis Darocæ, per quod constat in dicto libro erat scriptum, filios Lupi de la Cueua, soluere quodam tributum super quibusdam Domibus dictæ Ecclesiæ; si ergo Lupus de la Cueua habuit filios, & constat Ioannem, & Lupum de Cueuas fratres fuisse, simul hæredes dicti Lupi, satis ex hoc deducitur, fuisse dictos fratres, filios dicti Lupi. Non enim est credendum relictis proprijs filijs extraneos instituisse hæredes. Ex quibus & alijs manifeste apparet Ioãnem de la Cueua Auum Exponentis fuisse filium Lupi, pro vt per eum fuit articulatum. Nec tandem obstat, quod fuit obiectum contra possessionem eiusdem Exponentis, & eius Patris, ex eo quia fuerunt ciues dictæ ciuitatis Darocæ, & vt tales aliquas contributiones fecerunt, quia constat per Regiam Ordinationem dispositum fuisse in prædicta ciuitate, quod nullũ irrogetur præiudicium Infantionibus, ex eo quod sint imbursati in officijs Ciuium, & vt tales contribuant. Et etiam constat quod eodem tempore in quo erant ciues, erant confratres supradictæ Confratriæ Infantionum, & interueniebant in congregationibus Infantionum, ex quo suam possessionem conseruabant, & continuabant cum actibus qui compatibiles erant cum qualitate ciuium, quod maxime corroboratur ex confessionibus dictæ Ciuitatis, quæ continentur in instrumentis desuper mentionatis, quorum alterum fuit in fauorem matris Exponentis, cum qualitate viduæ eius Patris. Et respectu bonorum, quæ propria dicti sui mariti possideret, & non ignorabant qui fecerunt dictam declarationem, Ioannem de la Cueua fuisse ciuem

cum

cum constet plura officia obtinuisse, & inter alia fuisse Syndicum pro dicta Ciuitate in Curijs celebratis in ciuitate Tirasonæ, anno millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, hæcque declaratio facta in fauorem viduæ & pupillorum omni suspectione subornationis caret, propter qualitatem personarum quarum causa facta fuit. Nec obstat has declarationes non fuisse concessas per concilium generale dictæ ciuitatis, quia cōmuniter in Regno per Iuratos solos fieri solent, ipsi enim Receptoribus marauetini, aut aliorum iurium regalium dant memoriam infantionum cuiuslibet vniuersitatis, vt ab eis prædicta iura non exigantur, & cum hac relatione liberantur Infantiones a solutione dictorū iurium; istæ autē declarationes factæ fuerunt per concilium ordinarium Iustitiæ, Iuratorū, atque consiliariorum, quibus est cōmissa gubernatio prædictæ ciuitatis, eiusque patrimonij. De quibus non est præsumendum voluisse iactare bona vniuersitatis eximendo personas in dictis declarationibus mentionatas a solutione sisarum. Ex quibus omnibus simul iunctis, atque perpensis dictus Antonius dela Cueua Exponens Infantio modo supradicto declarandus venit, & aliàs atten. conten. Et alter ex quinque dictis Magnificis Dominis de dicto Regio consilio, fuit voti & opinionis, quod D. Regens officiū generalis Gubernationis præsentis Regni Aragonū tenetur & debet pronūtiare & declarare, non esse procedendū ad vlteriora id præsenti processu & causa, respectu articuli possessorij, provt per Didacū Antin, & Petrū Hieronimū Guindeo Procuratores supplicatur, & cū his supplicata per Antonium de la Cueua Exponentem, locum non habere, neutram partium in expensis condemnando, cætera supplicata locum non habere, atten. conten. EX EO præsertim, quia iuxta forales dispositiones petitorium super causa Infantionatus intentare quis potest, & in eo obtinere, in altero ex duobus casibus, scilicet exhibendo priuilegium Militiæ, vel producendo Saluam includendo se per gradus, quod ita expresse cauetur per foros Regni. Et in occurrenti casu neque allegatur, neque producitur priuilegium Militiæ, neque Salua. Et licet etiā in hoc Regno fuerit a multis annis citra introductum, & sæpe pronuntiatum, & cum allegatione & probatione Casalis, quis obtineat in iudicio proprietatis, veluti si quis probet se descendere ab aliquo Casali siue Solari ingenuo, & nobili, vbi de tempore immemoriali possessores illius, & descendentes ab eo soliti sunt gaudere, quasi possessione Infantionum. Hoc tamen de Casali materiali indicatiuo, &

demonſtratiuo, ingenuitatis Infantionatus intellectum, obſeruatum, & practicatum fuit, non autem debet extendi ad Caſale formale per ſolam immemorialem poſſeſsionem, prout prætenditur in occurrenti caſu, cum non allegatur Caſale materiale, ſed formale, quodam in villa Molinæ Regni Caſtellæ, maxime, cum agatur de Caſali extra præſens Regnum conſtituto: inducerentur enim & concurrerent in hoc caſu multa ſpecialia contra mentem & intentionem fororum Regni. Ex quibus ſubſequitur in iudicio proprietatis minime obtinere poſſe Antonium de la Cueua Exponentem. In poſſeſſorio etiam obtinere nullatenus poteſt. Nam cum huiuſmodi lis mota, & intentata fuerit in præſenti Regia Audientia, Præſide in ea exiſtente domino Regente officium generalis Gubernationis, fit inde, vt in articulo poſſeſſorio cognoſci de cauſa Infantionatus non potuerit abſque cōmiſsione a ſereniſsimo & potentiſsimo domino noſtro Rege conceſſa, de qua nullatenus apparet, & aliàs atten. conten.

Sig † num mei Ioſephi Iubero, Scribæ mandati ſuæ Maieſtatis, ac Cæſarauguſtæ domiciliati, authoritateque regia per totam terram & dominationem Domini noſtri Regis publici notarij, qui huiuſmodi vota & opiniones a regeſtro ſiue libro Regij Conſilij ciuilis de anno ſupra dicto, vbi continuata exiſtunt extraxi, & cū eo bene & legaliter comprobaui, In quorum fidem hoc meo ſolito ſigno ſignaui, conſtat de enmēdatis, vbi legitur, ſub, pre, mp, uit. &c.